

FRANCISCI LE-  
stræi ad Iuris Ciuilis studium

*Exhortatio, habita Lutetia Parisiorum  
in aula Narbonensi s. Idus Iunias,  
dicata Francisco Bartholomæo  
clarissimo libellorum sup-  
plicum magistro.*



PARISIIS,  
*Ex officina Ambrosii à Porta, in clauso Brunello  
ad D. Claudij insigne. 16*

1556.

Francisco Bartholomæo lectissi-

MO LIBELLORVM SUP-

PLICVM MAGISTRO

*Franciscus Leſtraus S.*

**C**VM diligenter, etiam, atque etiam perpenderem quem in locū res meæ anno superiore redactæ essent, nihil habui prius Vir Integerrime, quàm vt Prienæum Biantem laudarem, & sequerer, hoc est, perspicerem si cū fors fortuna (nequeo enim populariter respicientem nominare) quod erat suum abstulisset, aliquid mei possem tibi exhibere. Itaque cœpi orationem qua iuventutem legum cupidam ad Iuris Ciuilis studium vehementiùs exhortarer scribere. Scio, & tu ipse optimus es testis, quàm sit delectabile homini præsertim in otio, & literis diligenter versato, & varium Iuris Ciuilis studium, vt meritò nomen pandectarum habeat. Sed mihi persuasi quod præclarè est apud Ouidium, illud esse verissimum,

*Acer, & ad palma per se cursurus honores,  
Si tamen horteris, fortius ibit equus.*

Cur verò mihi hanc exhortationem scribenti potiùs occurreris, audies. Cū Tolosæ, quam rectè quidem, & verè palladium Martialis appellat, ciuibus tuis tam præclarum iuris, & iustitiæ dedisses testimonium, mihiq; à volonibus miserè affecto tantum (quod sanè non postulabam) tribuisses, vt Nicolao Petaldo clarissimo Eparchodicastræ Romano more commendares, à quo essem tibi honorificentissimè exceptus, non destiti me vnum in tuis clientibus putare. Nam etsi nulla est his præsertim temporibus ingrati actio, ab illa tamen summa lege, quæ seculis omnibus antè nata est, quàm scripta lex vlla, viuēdi mihi constituo regulam, & in iis, quæ naturæ iura labefactant numero potissimùm obliuionem gratiæ. Ex quo intelligis, quàm sit mihi iucunda tuorum in me meritò recordatio, & augusta tua dignitas, in eo præsertim ordine magistratuum, qui libellis supplicibus castè, integrèque præsent. Quæ ratione te mihi singularem bonarum literarum patronum optimo iure legi, qui cæteris sis specimen, cuius ingenium grauem cum humanitate orationem admiratione cōmotus nec nimis valde vnquam suspiciam, nec nimis sæpe laudabo. Accipies igitur hanc meam, quam in nomine tuo volo apparere, ad Iuris Ciuilis



Francisci Lestræi ad Iuris Ci-  
 VILIS STUDIUM  
 EXHORTATIO.



Nimaduerti viri audito-  
 res Epicurum dicere solitum,  
 beneficium datum nō  
 accepto solum pulchrius, sed  
 iucūdius etiam ex eo vide-  
 ri, quod (vt græcis est in ore)  
 nihil esset quod tam gaudiū  
 pareret, quàm gratia. Itaq;  
 in sapiētibus, & doctis, iure  
 optimo is numerari & po-  
 test, & debet, qui omnium princeps ea gratiarum inue-  
 nisse nomina dicitur, vt vnā Aglaiam, alteram Eu-  
 phrosinen, postremam Thaliā nominaret. videbat ille  
 ipse de quo loquor vclut in benefica, & liberali natura,  
 insigni fecunditate & purius, & solidius gaudium exu-  
 berare. Nec sanè iniuria. Si quidem (vt præclarè est apud  
 Sophoclem in Oedipode tyranno)

Iuuarier

pro viribus virum labor pulcherrimus.

Quod cum ita putarē, nulla cura grauior animum meū  
 in diuersa studia diuisum subiit: nullum maius sese mihi

a iij